DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE VERMINATIONE AFFECTV INTESTINORVM MOLESTISSIMO;

QVAM

ADMINICVLANTE GRATIA DIVINA,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS ET IN FRANCKERODA AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOLOG. ASSESSORE PRIMARO, ETC.

GRATIOSA FACVLTATE MEDICA IN HAC PERANTIQVA HIERANA INDVLGENTE,

SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS

DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,

CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DVCAL. ISENAC.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PVBLICÆ ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTIT

CHRISTOPHORVS HEINRICVS RICHTER,

Probſthayna-Sileſius,

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE VIII. MAJI, A. O. R. MDCCXXVIII.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

verum, ut multorum comprobat autorita
quorum ſcripta hoc ſæpius accidiſſe teſtantu
Sic vermium per os, nares, aures & oculos eg
ſtorum mentionem faciunt Beniven. *de abdi*
morb. & ſanat cauſ. c. 77. Herc. Saxon. *Pra*
lect. Pract. part. 2. c. 7. Holer. *in Schol. ad c.5*
lib. 1. Oper. Practic. Amat. Luſit. *cent. 7. cu*
63. Fernel. *Pathol. libr. 6. c. 10.* Valeſc. de Ta
rant. *libr. 4. c. 30.* Vermem veſicæ urinari
per meatum penis excluſum Dodon. in Scho
Vidius *l 10. c. 14.* & Heinric. ab Heer. *in Spa*
dacrene c. 9. in aperta cruris vena Zacut. *l.*
Prax. mirand. in cerebro Holer. *l. c. c. 1.* &
Geſner. *libr. 5. de Hiſt. animal.* in pericardi
Sylv. *l. 1. Prax. c. 35.* ut & in renibus *l. c. c. 5*
allegant, quin imo magnum quendam viru
à vermibus toto corpore ſcatentibus exeſu
ſuo tempore commemorat Petrach. *l. 2. a*
remed. utriusque fortunæ. Sed miſſis hiſce &
ſimilibus tanquam rarioribus, illam mihi i
præſenti Diſputatione Inaugurali vermium &
lumbricorum ſpeciem, quæ ſolummodo i
inteſtinis nidulatur, & frequentiſſime æta
tem cumprimis tenellam affligit atque vehe
men

menter excruciat, contemplandam & curandam ſumſi. Ut igitur res ſuccedat proſpere, ſupremum Numen humilime imploro, inſimulque Lectoris honoratiſſimi benevolentiam etiam atque etiam expeto.

§. I.

VErminatio eſt congeries verminoſa, ſive vermium in inteſtinis latitantium ingens proventus: Vermes autem à Græco ἕλμινθες nomen accepiſſe videntur, alias & ab Hippocr. *Epidem. l. I. & 4.* ἕλμιγγες appellati, licet diffiteri nequeam, hoc vocabulum proprie unam ſolummodo vermium ſpeciem, teretem ſc. & rotundam, denotare antiquis juxta Galen. *l. 14. M. M. c. 17. & 18.* & Spigel. *Tr. de lumbrico lato.* Apud Latinos Lumbrici derivantur à lubricitate, quam extus comprehenſi exhibent. Germanis dicuntur Spul=Würme / Nadel=Würme und Bändel=Würme.

§. II.

Quod rem ipſam per vocabula modo declarata ſignificatam concernit, propiusque ad conceptum Medicum realem formandum inſervit, porro dicendum eſt, quod Verminatio ſit ſubſtantiæ animatæ verminoſo intra tubum inteſtinalem latente generatio, per varia eaque gravia imo quandoque horrenda ſymptomata manifeſtata: Vermes vero ſunt animalcula diverſæ ſpeciei atque figuræ toto genere p. n. in inteſtinis præcipue tam ju-

niorum, quam adultorum, ex pituita dulci & chymo crudiore, ſemidigeſto, ad corruptionem diſpoſito, principiumque vitale ſui generis in ſe habente, à languida hebetioris caloris naturalis energia producta, functiones inteſtinorum impedientia, eaquepropter juxta doloris acerbitatem, varios affectus ſonticos ſæpenumero inferentia; unde etiam ob tyrannidem, quam frequenter in homines exercere ſolent, ab Hippocrate θηρία appellantur.

§. III.

Quando vermes toto genere, ſive tam ratione formæ, quam materiæ, præter naturam eſſe dicuntur, & nusquam in toto corpore, ne quidem excrementi loco, reperiuntur, uti pulchre hoc explicat Sennert. *Inſtit. Medic. l. 2. part. 3. Sect. I. c. 11.* quæſtio inter Doctores orta fuit, ad quam rerum p. n. claſſem ſint referendi? Galen. *l. de Diff. Morbor. c. 8.* vermes referre vult ad *morbos in aucto numero*; Brun. in *Dogm. Med. General. p. 284.* ad *ſymptomata retinendorum qualitate peccantium*, quod chylificationem, ejusque diſtributionem læſam ſequantur, nec non ad *cauſas morbificas*, quod continuitatem inteſtinorum morſu ſolvant, illos reducit: Sed videtur revera inanis quæſtio iſta, quandoquidem nil impedit, quo minus eadem res in triplici rerum p. n. claſſe, diverſo tamen reſpectu, collocetur, ita, ut ejusmodi vitia, quæ in excretis & retentis occurrunt, ſi morbos antecedant, cauſæ potius, ſin vero ratione morbi cujusdam contingant, ſymptomatum magis appellationem mereantur, vid. Brav. *Reſolut. Medic. p. 222.* hinc optime Hoffmann. *Inſtit. l. 3. c. 12.*

c. 12. p. 480. inquit: *Et Calculus & Vermes in ſe conſiderati, ſunt cauſa morbifica: tam enim calculus, quam vermes faciunt in inteſtinis eam diſpoſitionem quæ morbus eſt; uno verbo, obſtructionem.*

§. IV.

Si ſedem & locum affectum, uti par eſt, conſiderationi ſubjiciamus, utique commodum & neceſſarium erit hic applicare diſtinctionem inter *ſubjectum adæquatum*, quod in *latiori ſenſu*, & *principale*, quod *ſtrictius* ordinarie accipitur: *Subjecti* enim *adæquati* titulum ſibi vendicant omnes fere corporis noſtri partes, tam externæ quam internæ, quippe quas nefanda iſta ſoboles ſæpiſſime non ſolum occupare, ſed & ſtupendo prorſus more ipſarum ſubſtantiam hinc inde erodere, abſumere & putredinali miasmate atque recrementoſis quisquiliis polluere ſolet, prout hoc ipſum pluribus obſervationibus, in Prooemio hujus Diſſertationis, jam jam demonſtratum & confirmatum proſtat. *Subjectum* autem principale & *ſtricte* ſumtum conſtituunt ſola *inteſtina* tam tenuia, quam craſſa, in quorum tubulata cavitate turpiſſima hæc vermiculorum fœtura non modo primario producitur, ſed & ſucceſſive enutritur & multiplicatur, ut tanto facilius poſtmodum ſingula illa pathemata, quorum ſpecialiorem enumerationem inferius trademus, excitare & inferre queat. Id vero ratione ſubjecti adhuc notandum, quod *lumbrici lati* in omnibus reperiantur inteſtinis, & ſæpenumero per cuncta extendantur, *teretes* vero nonniſi inteſtina tenuia, & *aſcarides* inteſtinum rectum occupent, id quod avtopſia Anatomica

in

in cadaveribus ex vermibus defunctorum inſtituta docuit, vid. Riolan. *Encheirid. anat. l. 2. c. 17. p. 107.* Loſſ. *l. 2. obſ. 33.* M. N. C. *Ann. 1. obſ. 145. & 146.* Bartholin. *Cent. 3. Hiſt. Anat. 14.*

§. V.

Diſtinguendi autem merito ſunt vermes tam quoad *genus*, quam quoad *figuram* & quoad *ſedem* ſuam. *Ratione generis* enim dantur quidam, qui ad *lumbricorum*, & alii, qui ad *inſectorum venenatorum* claſſem referri merentur, de cœtero autem promiſcue intra inteſtinorum canalem continentur, atque nullo fere modo ab invicem ſeſe diſtinguunt, niſi quod illi, de quibus propterea ſolitarie hic loci agere placet, magis ordinarii, imo frequentiſſimi ſint, & ordinarie ex contentis inteſtinorum originem ſuam capiant; hi vero ſunt paulo infrequentiores & inſueti, ſimulque vel ex ſpecifico & proprio quodam ſeminio accidentaliter in inteſtina delato generantur, vel viventes una cum potulentis eo deferuntur, aut ſponte etiam irrepunt, cibis in ventriculo concoctis ſeſe nutriunt, multaque poſtmodum incommoda & ſontica admodum ſymptomata producunt, ni tempeſtive iterum removeantur & ejiciantur.

§. VI.

Quod *figuram* attinet, hujus intuitu ſane itidem non parum diſcrepant Vermes, dum ordinarie in *latos* & *teretes*, ſeu planos atque rotundos diſpeſcuntur, ex quibus poſteriores dein iterum in duas alias ſpecies ſubdividuntur, nempe in *teretes-longos*, qui lumbricos terreſtres quoad formam, figuram, magnitudinem &

reli-

liquas qualitates perfecte æmulantur, atque ratione
aſſitiei cum calamo ſcriptorio fere conveniunt, eam-
ıe ob cauſam à Latinis generali vocabulo *Lumbrico-*
m utplurimum indigitantur, â Germanis vero ordi-
ırie die Spul-Würmer vocantur; & in *teretes breves*,
ıi communiter perexigui, tenuesque ſunt, acus ſu-
rias majores figura referunt atque magnam cum iis
ırmiculis, qui in caſeis, carne, aliisque rebus putre-
ne & carie confectis obſervantur, convenientiam
hibent. Hos ultimos Græcorum ſchola vulgo *Aſca-*
des vocat, fortaſſis à verbo ἀσκέω, *exerceo*, *moveo*, vel
ύρω, *ſalto*, & σκαρίζω ac ἀσκαρίζω, *tripudio*, *turbo*, quoniam
les communiter ſaltando ac commovendo parti-
ıs iſtis, in quibus commorantur, inſignem pruritum
ferunt & aſſidua hinc dependente exſtimulatione &
itatione quietem ſubjectorum ita afflictorum inſigni-
r turbant.

§. VII.

Lumbrici lati in genere itidem duplicem referunt
guram; dum modo *breves*, modo etiam *longi* exiſtunt;
i utplurimum ſeminis cucurbitæ figuram ſatis exa-
e referunt & hinc *cucurbitini* dicuntur, ſed rarius ob-
rvantur; hi vero ſunt vel *continui*, vel *contigui* aut *ex*
uribus minoribus compoſiti. Priores in extremitate an-
eriori quodammodo acuminati, duri ac ſubrotundi
ınt, eaquepropter hanc utplurimum pro capite re-
ıtant Auctores, licet nihil cæteroquin cum eo com-
ıune habeat; dehinc in ſimplici & continua latitudi-
e, absque internodiis, usque ad alteram extremita-
em procedunt, nihilque notabile ulterius exhibent, niſi

 quod

quod canaliculum ex roſeo pallidum interne per to-
tam medietatem usque ad finem excurrentem ac f
cile per ſuperficiem transparentem contineant, long
tudinem plurium ulnarum referant, & plerunque
fruſtis tantum, ſed ſatis magnis, quandoque vero etia
toti ad inſtar glomeris convoluti procedant. Voc
tur hæc ſpecies proprie *Tænia*, tantamque ſæpi
monſtrat longitudinem, quam totus inteſtinorum tr
ctus vix ac ne vix quidem exæquare poteſt, quonia
interdum, notante SCHACHERO, *in Diſp. de Tæn*
An. 1717. *Lipſiæ ventilata*, ad ſexcentorum, imo octi
gentorum pedum dimenſionem excreſcit.

§. VIII.

Poſteriores, ſive *contigui* & *compoſiti lati*, vari
quidem figuræ & ſpeciei ſunt, optime tamen ad du
tantum claſſes referri poſſunt, dum alii ex plurib
minoribus cucurbitinis ſibi invicem ſatis arcte coh
rentibus & multa internodia formantibus conſtant,
ſic undique inæquales ſunt; alii vero æquales quide
ſunt, ſed ſimul ex meris articulationibus quadra
conflati eſſe videntur, quarum ſingulæ in inferiori r
gione minutiſſimis quibusdam papillis præditæ ſu
quæ in extremitate ſua tenuiſſimum quoddam ori
cium habent, ex quo vaſculum quoddam cœruleu
usque ad medietatem latitudinis totius corporis pr
tenſum, aſſurgit & procul dubio pro advehendo
attrahendo nutrimento animalculis hiſce inſervit. P
ra de hac lumbricorum ſpecie, quam communiter
lium vocant, vide in SPIGELII *Tr. de Lumbrico lato*,
Nicol. ANDRY *Tr.* von Erzeugung der Würmer *cap.*

A

Art. 2. Sunt autem præter hactenus recenſita adhuc plura alia vermium genera, quæ à figura, colore atque ſimilitudine cum rebus aliis variis, varia ſortiuntur nomina, & modo lumbrici *cornuti*, quales inprimis in *Ephemer. Nat. Curioſ. Dec. I. Ao. III. obſ. 63.* deſcripti proſtant, modo *bicipites*, *tricipites*, *quadrupedes*, *centipedes*, *polypedes*, *ſcarabæi*, &c. vocantur, atque in plurimis corporis partibus reperiuntur; aſt, quoniam de iis multi inter eruditos jamjam multa tradiderunt, non lubet plura hoc loco addere, præprimis cum & paginæ anguſtia eos nunc abſolute excludat.

§. IX.

Diſcrepant denique Vermes etiam quoad *ſedem* & *locum*, ubi ordinarie commorari aſſolent. Quemadmodum enim inteſtina, tanquam nidus ipſorum aptiſſimus, reſpectu ordinis, ſitus & figuræ varia ſpatia & puncta certis cognominibus diſtincta conſtituunt, atque nunc in *tenuia* ſive anguſta, nunc in *craſſa* ſive ampliora dividi à Medicis ſueverunt: Ita verminoſa hæcce ſoboles, pro diverſitate ſuarum ſpecierum, modo hunc, modo illum, & quælibet pro ſua indole convenientiorem locum, occupat, ſiquidem *teretes longi*, ſive in genere ita dicti *lumbrici*, plerunque inteſtina tenuia magis, vel ſaltem craſſorum initium & tenuium finem ceu locum ſuum natalem amant, atque non raro ſurſum prorependo ad ipſum ventriculum aſcendunt, ibique dein multum tædii ac moleſtiarum producunt, quin imo ex hac ventriculi cavitate, facto ſibi & obtento prius ad orificium ſiniſtrum aditu, per œſophagum gradatim

 quaſi

quaſi ad ipſam oris aperturam aſſurgunt, indeque tan-
dem exitum iterum quærunt.

§. X.

Teretes autem *breves*, ſive ita dicti *Aſcarites*, incu-
nabula ſua potiſſimum in amplioribus habent inteſti-
nis, & quidem eo inprimis loci, ubi inteſtinum colon
poſtquam mirando ordine ac flexuoſo admodum itine-
re abdomen peragravit, â fine oſſis ilei ad ſummitatem
ſacri ſe ſe extendens, in gyros multiplices abit: Hi
enim tubus, una cum connexo ipſi inteſtino recto, o
vaſtam & ſatis amplam cavitatem, multamque cellula-
rum è quibus quaſi compoſitus eſt, convolutionem
utique commodiſſimum aſcaridibus ſtruit nidum, i
quo diu dein commorari & ſobolem innumeram pro-
creare ſolent, præſertim cùm vitam â quisquiliis & ex-
crementis, quæ ibidem in tranſitu hærent, ſufficiente
ſuſtentare queant.

§. XI.

Quod denique *latos* attinet *vermes*, & quidem *bre-
viores*, ſive ita dictos *cucurbitinos*, horum ſedes præ-
cipua ſunt inteſtina tenuia, inprimis autem ileon; *lon-
gi* autem, & ex his ſpeciatim *tænia* originem in te-
nuibus inteſtinis capeſſit, indeque per omnia reli-
qua ſeſe ultrà extendit, aut ſi ſpatium deficiat, ad in-
ſtar glomeris ſe convolvit & ſub hac forma interdum
ſimultaneo & unico quodam actu excluditur; *Solium*
quidem pariter univerſam inteſtinorum, tam tenuium
quam craſſiorum cavitatem, quoad longitudinem
occupat, ſed præcipue dextro ventriculi orificio cum
illa extremitate, quæ caput repræſentat, adhæret, ib

qu

que nutrimentum ſuum primario quærit ac facili negotio invenit, adeoque etiam in eo perfecte à priori illa ſpecie ſeſe diſtinguit.

§. XII.

Ex quibus ſatis apparet dogmatis Helmontiani infirmitas, in *Tr. Sextuplex aliment. digeſtio n. 82.* ventriculum & duodenum à generatione lumbricorum eximentis, eô, quod lumbricorum patria ibi eſſe nequeat, quo fermentum fellis attingit; quippe blanda amarities bilis, quam in ſtatu naturali obtinet, lumbricorum proventum, cæteris paribus, impedire nequit, cum experientia conſtet, æque ex abſynthio utcunque amariſſimo, atque ex aliis herbis dulcem ſuccum fundentibus, vermes generari; &, quì fit, pueros dum lumbricis tentantur, diarrhæa haud raro maxime bilioſa corripi, obſervante Sanctor. *Meth. Vit. Err. in Medic. l. 5. c. 11.* unde veriſimilius longe eſt, ex quolibet humore vermes generari poſſe, quamprimum corruptio putredinoſa advenerit, conſentientibus *M. N. C. Ann. 3. obſ. 261.* Et ſi citata anteà Loſſii obſ. duodenum à terete lumbrico perforatum & exeſum in puerulo bimulo apparuiſſe, quod etiam Schenck. *l. 3. obſ. p. 373.* refert, fidem meretur, it. quod celeberr. Hoffmann. *Medic. ration. ſyſtem. tom. 2. c. 11.* vermes in ventriculo quoque ſtabulari afferat; utique loca recenſita vermibus progenerandis omnino erunt congrua.

§. XIII.

Tradita nunc differentia Vermium, porro ſimili imo adhuc majori cum ſtudio in illas inquirendum eſt circumſtantias, ex quibus cognitionem Vermium tam

quoad diverſas eorundem ſpecies, quam quoad ſedem & locum diverſum, quem occupant, acquirere poſſimus. Hæ autem non uno eodemque modo ſeſe habent, ſed modo hanc, modo aliam quoque faciem gerunt: In iis enim ſubjectis, quorum inteſtina à *rotundis longis*, ſeu *vulgaribus lumbricis* obſidentur, communiter adeſt ingens abdominis dolor, cum moleſtiſſimis ventriculi morſicationibus, præprimis ſi vacuus ille extiterit, aut ſi adverſa hæcce animalcula anfractibus inteſtinorum implicita adhæreſcant, & pedunculis ſuis, qui juxta WILLISIUM *de Anima brut. pag.* 20. ſerie quadruplici per longitudinem corporum diſpoſiti ſunt, atque proboſcide acutiori, quaſi totidem uncis ea lancinent & arrodant; tunc enim inſuper inſolitum cordis ac omnium corporis partium tremorem, inſignem præcordiorum anxietatem efficiunt, quæ interdum cum animi deliquiis, ſæpius autem cum graviſſimis & ſtupendis convulſionibus epilepticis ſtipata eſt, quibus etiam tandem haud raro pereunt & extinguuntur infelicia iſta ſubjecta. Non minus etiam aliqui ſub his circumſtantiis frequentiores experiuntur vomendi conatus, imo actuales etiam ſed inſimul moleſtiſſimos vomitus, qui interdum plane cruenti evadunt, quemadmodum talem à duobus lumbricis excitatum annotavit Celeb. Wedelius *in Amœnit. Mat. med. pag.* 363. Aliis vultus multum incaleſcit, tentantur & moleſtantur phlogoſibus ſæpe recurrentibus diuque ſimul durantibus, ac cum pallore inſolito dein alternantibus, ſomnum habent vel nullum, vel maxime inquietum, loquuntur ſub eo aliena, ſtrident den-

tibus

tibus, editoque clamore repente expergiſcuntur, & licet etiam priſtino ſomno iterum immergantur, minime tamen perfecte quieſcunt, ſed vario decubitu corpus perpetuo jactant, & ita magis enervantur quam allevantur.

§. XIV.

Præter hæc occurrunt etiam alia ex parte adhuc frequentiora ſymptomata, præſentiam lumbricorum tanto certius arguentia, videlicet frequens narium pruritus, fœtor oris ſubacidus, conſumtio vel eroſio gingivarum, livor faciei & affluxus ſalivæ copioſior ad fauces, præſertim nocte & mane jejuno ventriculo, de quo ordinarie dicunt: Es lauffe ihnen das helle Waſſer aus dem Munde. Concurrit ſubinde etiam lævitas inteſtinorum & frequentior fæcum colorem gryſeum aut cinereum referentium, dejectio; appetitus modo plane planeque ceſſat, modo prorſus inſatiabilis eſt, & inprimis ad panem magis, quam alia eduliorum genera fertur, ex quo tamen ne quicquam proficiunt, ſed potius ſucceſſive emarceſcunt & in univerſalem corporis atrophiam ac flacciditatem incidunt, excepto tantum abdomine, quod utplurimum cum inſigni duritie eximie diſtenditur, ut tympanitide fere laborare videantur, & ordinarie de ipſis dicatur: Sie hätten einen dicken und harten Leib / als ob Steine darinnen wären. Huc accedit etiam inſolita ſiticuloſitas, quæ nocturno inprimis & matutino tempore ſubjecta talia gravius affligit; in quibusdam inſuper ſingultus & ſicca arida tuſſicula, brevibus intervallis moleſta, occurrit; nec parcit etiam febris, quæ, nullo

ſer-

ſervato temporis ordine recurrens, aut typum quotidianarum vel continuarum referens, cum multa ſiti pulſuque inæquali, obſcuro, vel omnino deficiente infeſtat, indeque ſpecialiori termino, das Wurm-Fieber appellatur. De reliquo urina ordinarie turbida, cruda, pallida ac ſeroſa apparet, ſimulque ſedimentum quoddam albicans ad inſtar furfurum brevi temporis ſpatio deponit; accedunt dolores capitis quandoque ſatis acuti, interdum vero magis obtuſi. Ubi tandem validius ſubjecta ſua torquent hæc animalcula, ibi graviora etiam occurrunt pathemata, triſtiſſimum ſæpe ſpectaculum exhibentia, ita ut juxta obſervationem Henr. ab Heer ſæpius Ileo corripiantur & tandem ſub convulſionibus vehementiſſimis mundum huncce deſerant.

§. XVI.

Similiter quoque comparatum eſt cum iis in quibus *lumbrici lati* ſedem ſuam habent, quippe qui itidem non uno ſemper impetu, nec pari etiam cruciatu, ſed diverſis ſymptomatibus, majorique interdum vel minori moleſtia afficiuntur, licet de reliquo hæc lumbricorum ſpecies iisdem fere ſignis præſentiam ſuam manifeſtet, ex quibus teretes alias cognoſcuntur: Solent nimirum morſu continuo ſubjecta communiter divexare, permagnum ac inſatiabilem ciborum appetitum in ipſis excitare, adeo, ut licet hunc alimentorum copia pauliſper extinguant, brevibus tamen intervallis in eodem gradu redeat ægrosque ad novas comeſſationes quaſi impellat, ni forſitan de novo ab ingratis hiſce convivis inſigni roſione acerbiſſimisque tenſionibus

ibus offendi velint. Corpus, quod occupant, ordina-
ie adhuc magis, quam ab aliis vermibus fieri ſolet,
nacilentum, viribus imbecille & pigrum reddunt, &
iprimis hoc peculiare habent, quod auctore Hippo-
rate *Lib. V. de morbis*, & conſentientibus Paulo & Ae-
o, per excrementa inſimul ſuam denotent præſen-
am, quoniam tunc cum hiſce ramenta quædam ſe-
ninibus cucurbitæ aut cucumerum ſimilia per loca in-
riora excretoria prodeunt, quæ juxta Spigelium *L. a.*
p. 15. nihil aliud ſunt, quam nodi horum lumbrico-
im medii craſſiores & vivaciores, poſt abſumptio-
em & corruptionem membranarum, appendicis loco
im ipſis connexarum, ſuperſtites & formâ ſeminum
icumerum ſe ſe manifeſtantes. Conf. Bartholinus *in*
A. Med. Haffn. Vol. IV. pag. 150.

§. XVII.

Quod denique *aſcaridum* hiſtoriam attinet, ea qui-
m cum prioribus in multis convenit circumſtantiis,
aximè ſi nauſeam, ſi maciem, ſi diarrhœas, ſi murmu-
ventris, &c. reſpicias, quorum intuitu â cæteris lum-
icorum ſpeciebus nihil plane differunt; aſt, ſolent
nen adhuc nonnullis peculiaribus ſignis ſe ſe inſuper
anifeſtare, videlicet multo ac vehementi & admo-
m moleſto pruritu circa anum & in ipſo inteſtino
to occurrente, propter quem deinde ſubjecta com-
initer ad alvum frequentius deponendam neceſſi-
tur, eâque redditâ poſtmodum ſemper melius ſe ſe
bent. Huc accedit quod ipſa excrementa, quibus-
n dein animalcula iſta ejiciuntur, jumentorum ſter-
i cibos male concoquentium, ſint quoad odorem

ſimillima, & inſignem de ſe ſpargant fœtorem id qu
junioribus pariter ac adultioribus accidere promiſc
ſolet. Neque etiam hoc omittendum eſt, quod,
pruritus iſte paulo validior exiſtat & magis urgeat, ſu
jecta autem teneriora ac ſenſibiliora ſint, tunc int
dum lipothymiæ & id genus alia inſimul ſympton
ta superveniant, nec non, quod phaſes lunæ ſatis e
ctè obſervent, ſuosque in affligendo typos & period
habeant, dum utplurimum â nonâ vel decima h
nocturna usque ad auroram moveri ægrosque vexa
reliquo autem tempore quieſcere ſoleant, & deniq
quod invaleſcentes quibusdam anum & inteſtinum
ctum, imo nates & femora erodere, aut etiam, ju
obſervationem SCHENCKII, ulcera ani & inteſtini
cti excitare ſoleant.

§. XVIII.

Enarratis itaque iis, quæ ad cognitionem mo
pertinent, proximum nunc eſt, ut juxta ordinem c
ſuetum ad vermium *cauſas*, ſive hiſtoriæ hactenus
narratæ ætiologiam progrediar, quod ipſum o
dum ita nunc molior, undique â celeberrimis Medi
rum circumſeptum me video, quorum quisque f
mihi repugnat & contrariatur, ut, quid proprie ſta
endum & aſſerendum ſit, vix determinare que
Summus enim ARISTOTELES, quem merito prim
nomino, *in Hiſt. animal. Lib. V. cap. 19.* & qui eum ſe
ſunt, *putredinem*, ſive materiam crudam, fæculentan
ad fermentationem putredinoſam diſpoſitam, tanq
ſubjectum patiens, in quod calor naturalis ingenitâ ſu
prolificâ agit, quamque dein ad vermes procreandos
bi

bilem reddit, maximè accuſant, absque tamen ſufficienti fundamento, quoniam febris iſta ſecundaria, quæ alias ordinarie actum qualiscunque putrefactionis in corpore humano comitari ſolet, nunquam in ſubjectis verminantibus præcedit, ſed, ſi qua etiam occurrit, tunc potius ſuccedit, quando vermes actu jam præſentes ſunt, atque in putredinem actualem degeneravere. HELMONTIVS culpam omnem in depravatam nimisque debilem conjicit bilem, atque in *Tr. ſextupl. Dig. §. 82.* abſolutè dicit, quod ibi lumbricorum ſit patria, ubi bilis deficit balſamus; licet experientiam apertè ſibi contrariantem habeat, cum per eam conſtet, quod ſæpiſſime in ovibus inprimis & ſuibus, horumque ductibus hepatico-cyſticis, ut & ipſa veſicâ fellea, vermes in ſatis magna copia reperti fuerint, confirmantibus id ipſum *Annalibus Medico-Phyſ. Wratislav. Ao. 1718. M. Febr. Claſſ. IV. Art. 8. & Ao. 1719. M. Novembr. Claſſ. IV. Artic. 10.* & celeb. BIDLOO *in Obſerv. Anatom.* Plurimi ex modernis, qui Philoſophorum antiquo innituntur axiomati: *Quod omnia generentur ex ovo;* ad ſeminia verminoſa cum alimentis intra corpus aſſumta & ibidem reſuſcitata confugiunt; ſed ſpecificum illud inſectum, cujus productum lumbrici propriè eſſe debent, ob deficientem figuræ ſimilitudinem, indicare & denotare haud poſſunt, eoque ipſo lubricitatem ſententiæ ſuæ ſatis produnt. Alii denique aliis opinionibus ac voculis, quibus abſtruſum illud generationis negotium exponere laborant, delectantur, quibus tamen itidem ita indiſcriminatim nemo aſſentiri poterit.

§. XIX.

Hinc ſanæ rationi principiisque phyſico chymicis propius accedere videtur ea ſententia, quæ ſtatuit cauſam vermium materialem ordinarie eſſe nunc pituitam dulcem ex cibis laudabilibus quidem, ſed ἀκαίρεως καὶ ἀτάκτως ſumptis, nunc chymum crudiorem, ſemidigeſtum, ad corruptionem diſpoſitum, ex cibis vel corruptis, vel facile putrescentibus ingeſtis; quibus quidem extraordinarie ſeminii cujusdam verminoſi ſpurcities ineſſe aut exterius adeſſe poteſt; quippe lumbricos ſectos mera pituita, ſe movente à ſpiritu vitali intra membranam concluſo, ſcatere, obſervatum eſt. Cauſam formalem conſtituit principium vitale ſui generis inibi latens exſuſcitatum; efficientem demum languida hebetioris caloris naturalis energia præbet. Scilicet humor pituitoſus ac viſcoſus, a cibis facile putrescentibus ac fermentationi ventriculi reſiſtentibus v. g. caſeo, leguminibus, piſcibus, carnibus, cumprimis ſuilla, fructibus horariis, generatur, qua propter ventriculo ejusmodi alimentis obruto, ejusque fermento inerte reddito, character vitalis humanus iisdem non inprimitur; quæ vero alimentorum particulæ hocce charactere intactæ relictæ ventriculo excidunt, in proprias abeunt deſtinationes, ac putreſcunt: unde in occulto latentes alimentorum ideæ evigilant, atque à ſpiritu inteſtinorum vivifico ac putredinali fermentatione evolvuntur, ſecundum idearum variationem, in animalculorum generationem. Hinc variæ vermium differentiæ exſurgunt, quod unice variis alimentorum adſcribitur ideis, & ad novam formam

reci-

recipiendam diſpoſitioni: Prout videmus ex abſinth. rore marino, carne vitulina, equina, piſcibus, caſeo, melle, mori folis, peculiares vermes provenire, ſecundum ſubjecti diſpoſitionem, ac idearum ſpiritualium variationem.

§. XX.

Ad *Prognoſin* quod ſpectat, variat periculum reſpectu copiæ & indolis vermium, ut ab aliis majus, ab aliis minus exiſtat. Sic mitius malum habetur, ſi vermes & pauci & albi, graciles atque extenuati, non per os, ſed per alvum prodeunt. Nec etiam adeo multum periculi pertimeſcendum eſt ab *Aſcaridibus* & *cucurbitinis* lumbricis, quorum priores à partibus nobilioribus magis remoti ſunt, ſimulque facilius excerni poſſunt, poſteriores vero ob tarditatem motus minus moleſti juxta Hippocr. *l. 4. de Morb.* deprehenduntur: Mali è contra ſunt *teretes*, præprimis ſi in magna adſint copia, quoniam inteſtina facile graviter offendunt lancinant, perforant, febresque ſatis graves provocant: Pejores ſunt mortui, ſi non tempeſtive, aut in decremento tantum morborum acutorum rejiciantur notante Salmuth. *Cent. 3. obſ. 54.* Peſſimi ſunt rubri, qui ſanguinem ſugunt, vid. Tulp. *l. 2. obſ. 49.* quique aliis gravioribus febribus, inprimis malignis junguntur, atque ſtatim in illarum principio per os prodeunt, ubi ſæpiſſime vim mortis imminentem denotare ſolent.

§. XXI.

In curatione vermium ergo reſpectus habeatur & corruptionis fientis, & ejusdem factæ, adhibendo nunc remedia digeſtiva, abſtergentia, inertiam bilis corri-

 gentia,

gentia, & ſordes primarum viarum per ſuperiora aut inferiora mature educentia, nunc ſeminium verminoſum infringentia & enervantia, vermesque genitos enecantia, & eosdem poſtea exturbantia. Quibus indicationibus efficaciâ reſpondent omnia intenſe amara, acria, acida temperata vitriolica, ſalina volatilia oleoſa, lixivioſa, terreo-alcalica ſimul virtute anthelmintica ſpecifica pollentia, jam cum, jam ſine purgantibus exhibita, ubique circumſtantiarum Medicarum rationem habendo. Quod ſi enim febris ſimul concurrat, tunc præſtat ſolummodo ſalinis fixis, ∇eis, marinis & acidis negotium hoc aggredi, eumque in finem Θia media amara, ⦶ ♁iatum, Corall. r. ppt. Muſc. Corall. C. C. phil. ppt. & uſtum, Succ. Limon. Granat. ⊙ant. Citr. Ω̲tus mineral. acidos MRam ſimpl. ipſaque aceta varii generis, ordinare; ſi vero ea abſit, tunc amaris & acribus, nempe Herb. Abſynth. Scord. Tanacet. Cent. min. C. B. Matricar. Naſturt. Sabin. Rad. Gent. r. Angel. Pimp. alb. Zedoar. Allio, Sem. Citri, Eruc. Zedoar. tanacet. Myrrh. Aloe, &c. paratisque exinde Eſſentiis atque Elixiriis negotium hoc aggredi licet, quorſum etiam faciunt Elix. Propr. Eſſ. Lign. lign. Aloes, Caſtor, &c. nec non Unguenta, Linimenta & Emplaſtra ex his & aliis ☍ſis ingredientibus paranda atque abdomini aliquoties applicanda.

§. XXII.

His porro pro obtinenda excluſione vermium ſociare aut ſubordinare convenit ſecuriora laxantia, maxime autem Rhabarbarina & Mercurialia, quæ ultima ſi rite præparata fuerint, utique omnibus aliis palmam

præ

præripient. Convenit autem inprimis Mercurius dulcis, quippe qui ob egregiam viſcidiores mucoſitates reſolvendi & expurgandi virtutem, ſi cum ratione in auxilium vocatur, raro vel nunquam deſerit ægrotantes, adeoque vel in pilulis, vel in bolis, vel etiam, licet cum aliqua cautela, in linctibus commodiſſime exhiberi poteſt. Huc pertinent etiam Pilulæ ex Extr. amaris paratæ, Stahlianæ, Becherianæ, Glaſſ. Francofurt. Alœphang. Spec. diaturb. c. Rhab. Troch. de Rhab. & ſi lumbrici lati præſentes fuerint, ſpecifice Rad. Filic. Cort. rad. Mori & Succus rec. Naſturt., ſi vero Aſcarides occurrerint, tunc ſuppoſitoria ex ſapone aut lardo parata & cum melle vel ☍ Abſynth. illita nec non Clyſteres ex Decocto Herb. amarar. ☍ Amygd. amar. felle Tauri, Hier. picr. compoſiti, optime conveniunt.

§. XXIII.

Circa uſum recenſitorum prudentia Medica ſequentes ſubminiſtrat cautelas. Primum conſideretur an febris adſit, nec ne, an alvus fluida nec ne? ubi in in caſu priore & remedia calidiora & purgantia abeſſe debent: Vermes Medicamentis vehementioribus minime irritentur, ne convulſivi motus, lipothymiæ, ipſaque mors acceleretur: In lumbricis teretibus adhuc viventibus caveantur clyſteres ex amaris & oleoſis parati, quia vim medicamenti percipientes, ſuperiora verſus repunt, & varia mala excitant: Purgantia ordinanda potiſſimum ſub lunæ decremento, ſi conditio ægri temporis moram patiatur; ſecus evadunt irrita: In morſu vehementi & pertinaci lac copioſum

pioſum c. ſaccharo tepidum præferendum amaris, acidis, aliisque moleſtis omnibus, ne irritentur vermes, ſed potius ad lac ſe convertentes à morſibus deſiſtant.

§. XXIV.

Victis autem & profligatis hiſce hoſtibus, omnia illa ſedulo vitanda ſunt, quæ quocunque modo novam illorum geneſin promovere & cruditatem in primis viis excitare poſſunt, qualia ſunt cuncta alimenta cruda, viſcoſa, dulcia, ſaccharata, mellita, dyſpepta, putreſcentia, aut inſectorum excrementis conſpurcata, præcipue apud lactantes diæta ſit excarnis, quandoquidem ventriculus tenerior carnes digerere nequit. Alvus quotidie reſpondeat, & ſi tardior fuerit lenioribus laxantibus, inprimis luna decreſcente, admoneatur, inſimulque generatim victus vivendique ratio talis inſtituatur, qualis alias in ſubjectis cachecticis & cacochymicis requiritur, ut ita corpus, quantum fieri poteſt, ab omnibus impuritatibus viſcidis mucidisque, defendatur & liberum conſervetur.

TANTUM.

S. D. G.